

¶ XX. 93. Certè D. Petrus non recto pede ad veritatem Evangelij incesit, Gal. 2, 14. Et quàm sunt multa ac gravia, quæ in suis Corinthiis ac Thesalonicensibus Apostolus reprehendit, quos tamen in Ecclesia fuisse, ipsemet testatur.

94. Quare ut Ecclesia sit sancta, non oportet õnes esse sanctos, qui illius partes sunt: sed satis est, nonnullos & aliquam multos in ea sanctos esse: & veram in illa sanctitatis viam ac rationem tradi & monstrari.

95. Infert hinc Confessio nostra, Articulo Octavo, multos semper malos & hypocritas admixtos esse verae Ecclesiae: per Malos intelligens, qui peccatis contra conscientiam delectantur, aut etiam qui licet interdum scelerum pœnitentia ducantur, in pristinam tamen impietatem relabuntur, veluti canis ad vomitum & sus lota ad volutabrum cœni revertitur, 2. Pet. 2, 22.

96. Per hypocritas verò eos notans, qui de capitibus doctrine Christiane consentire quidem se simulant, & in exteriori conversatione sese ita gerunt, ut nescio quam sanctitatis speciem præ se ferant; interim tamen virtutem ejus abnegant, 2. Tim. 3, 5, & in facie quidem glorientur, non verò in corde. 2. Cor. 5, 12.

97. Scripturarum autoritate hoc confirmari potest: Nuptijs regijs interfuisse etiam dicitur ille, qui missus est in exteriores tenebras, Mat. 22, 12, 13. Regnum cœlorum, hoc est Ecclesia, simile est

est